

**WIADOMOŚCI
DIECEZJALNE
LUBELSKIE**

Rok 1925.



LUBLIN.

WYDAWNICTWO KURJI BISKUPIEJ.

Treść rocznika 1925.

Dział urzędowy.

Akta Stolicy Apostolskiej.

Ustanowienie katedry literatury łacińskiej na Uniwersytecie Gregorianum	str. 1
Homilja Piusa XI o S. Teresie od Dzieciątka Jezus	„ 37
O całowaniu pierścienia biskupiego	„ 193
De facultate baptismi domi conferendi extra mortis periculum	„ 289
Dekret o S. Bogumile	„ 290

Rozporządzenia i uwagi pasterskie.

Warunki dostąpienia Jubileuszu 1925 r. dla osób nie mogących być w Rzymie	str. 4
Rocznica koronacji Piusa XI	„ 5
Zaniechanie nazwy urząd parafjalny	„ 6
Akt przekazania domu dla Nuncjatury	„ 9
Wielki post i dyspensa	„ 33
Przyjmowanie zapowiedzi	„ 34
Berło dla N. M. P.	„ 35
Ofiary na fundację im. Piusa XI dla inwalidów	„ 35
Prezes generalny Związków Misyjnych w Polsce	„ 36
Memento liturgiczne	„ 36
Zjazd dziekanów i kurs społeczny	„ 65
Sprzedaż, zamiana lub obciążenie majątku kościelnego	„ 66
Agitacja a samorząd parafjalny	„ 67
Uroczystość Królowej Polski N. M. P. i Święto 3 maja	„ 67
Święto Ś. Stanisława B. M.	„ 97
Przewodnik Miłosierdzia	„ 98
Przeznaczenie funduszy misyjnych	„ 99
Liceum diecezjalne	„ 100
O Zakładaniu bractwa Matek chrześcijańskich	„ 101
Rozporządzenie rządowe	„ 101
Wykazy śmierci dla urzędów skarbowych	„ 102
Rekolekcje dla duchowieństwa	str. 129 161
Codziennie odprawianie Mszy św. w kościołach	str. 130
Wydawnictwo Pisma Ś.	„ 131
Rozwody inowiercze	„ 161
Zakończenie roku szkolnego w szkołach powszechnych	„ 162
Konkordat	„ 162
Modlitwa za Rzeczpospolitą i Prezydenta	„ 195
Statystyka diecezjalna	„ 196
Wyjazd kapłanów na odpust a nabożeństwo w kościele	„ 197
Odezwa do miejscowych proboszczów	„ 198
Odznaczenia i godności	„ 201
Instrukcja dla Rady Administracyjnej diecezjalnej i dla Rad kościelnych	„ 226

Instrukcja dla komisji mieszanej konserwatorskiej	str. 228
Składka na Uniwersytet katolicki w Lublinie	„ 230
Egzamin przedślubny	„ 230
Nauka religii w szkołach	„ 232
Statut kapituły katedralnej w Lublinie	„ 257
Obecność J. E. Biskupa lubelskiego na konferencjach dekanalnych	„ 293
Składanie ofiar na pomnik Sienkiewicza	„ 294

Rozporządzenia prawno-państwowe.

W sprawie kwalifikacji zawodowo-duchownych r. k. do nauczania religii w szkołach średnich	str. 132
O obowiązku przesyłania władzom skarbowym wykazów o wypadkach śmierci	„ 135
W sprawie pobierania opłat sądowych od instytucji samorządowych	„ 135
Święta obowiązujące według prawa cywilnego	„ 202
Ubezpieczenie świątyń i plebanji od ognia	„ 202
Lokowanie gotowizny bieżącej przez osoby prawa publicznego i niewłasnowolne	„ 203
Rozporządzenie prawno-państwowe w sprawach wojsk.	„ 204
Okólnik prezesa Rady Ministrów w sprawie wykonania konkordatu	233-236
Zawieranie małżeństw przez osoby obowiązane do służby wojskowej	str. 295

Dział nieurzędowy.

Po latach dziesięciu	str. 10
Odezwa komitetu budowy domu diecezjalnego w Lublinie	„ 15
Jeszcze kilka szczegółów z życia śp. ks. biskupa Jaczewskiego	„ 16
Wychowanie młodzieży szkół średnich	„ 19
Nieco o polszczeniu polaków	„ 21
Sodalicja pań z inteligencji w Lublinie	„ 23
Dom diecezjalny	„ 27
Zjazd przedstawicieli diecezjalnych organizacji kapłańskich Rzplitej P.	„ 29
Misja kościoła R. K. na Chełmszczyźnie	„ 37
Stanowisko prefekta w szkole	„ 44
Nowa placówka w Lublinie	„ 47
Jubileusz kapłański	„ 48
Ochrona zabytków a nasze Muzeum Diecezjalne	str. 68 106
Potęga postu	str. 72
Duchowieństwo a polityczny ruch ludowy w Polsce	„ 74
Dwudziestolecie kapłańskie	„ 84
O program nasz	„ 103
Pro aris et focis	„ 108
Mowa ks. biskupa Sokołowskiego	„ 110
Sprawozdanie sekretarjatu Stow. Młodzieży Polskiej	„ 111
Wskazówki dla księży polskich we Francji	„ 134
Konferencja diecezjalna 21 kwietnia	„ 136
Jeszcze o pedagogice w naszych szkołach	„ 138

Stowarzyszenia i bractwa kościelne	str. 142
Trzeci Zjazd Związku Zakładów teologicznych w Polsce	„ 144
Statut Związku Misyjnego duchowieństwa	„ 146
Doroczne zebranie kapituły zamojskiej	„ 154
Kursy społeczne dla duchowieństwa	„ 171
Z pielgrzymki jubileuszowej	„ 176
Zamęt w pojęciach moralnych	„ 186
Uartemami szlakami	„ 207
Szanujmy zdrowie	„ 209
Program religji w seminarjum państwowem kl. IV	„ 215
Zagadnienia narodowościowe i społeczne	„ 237
Sumienie jako pierwszorzędny cel wychowania	„ 241
Manifestacja na cześć S. P. Konizjusza we Fryburgu	„ 245
VI Polski kongres przeciwalkoholowy	„ 250
Wizyta pasterska J. E. ks. biskupa sufragana	„ 274
Konferencja diecezjalna	„ 296
List z 1600 roku jubileuszowego	„ 301
Refleksje pastoralne z powodu „Chłopów“ Reymonta	„ 304
Z naszej Spółdzielni Kapłańskiej	„ 307

Dział historyczny.

Dekanat Kazimierski	str. 77
Częstoborowice	80
Skasowanie Unji i zaprowadzenie prawosławia w Krzeszowie	„ 122
Wąwolnica :	„ 148
Klementowice	„ 182
Baranów	str. 223 287
Granice diecezji lubelskiej za Księstwa Warszawskiego	str. 260 280
Parafia Końskowolska	str. 285 309
Parafia Gołąb	str. 310
Parafia Garbów	„ 313

Nekrologja.

Ś. p. ks. prałat J. Pruszkowski	str. 55
„ ks. kan. J. Kureczko	str. 58 91 123
„ ks. A. Suracki	str. 59
„ ks. prał. A. Pleszczyński	„ 86
„ ks. kan. M. Dąbrowski.	„ 89
„ ks. biskup K. Ruszkiewicz	„ 123
„ Karol Namysłowski	„ 211

Kronika.

str. 27, 47, 83, 116, 151, 186, 118, ^{4,} 237, 314

Listy do Redakcji.

str. 60

Bibliografja.

str. 31, 62, 95, 126, 156, 190, 224, 256, 319



Wiadomości Diecezjalne

LUBELSKIE

Adres Redakcji: **Lublin, Namiestnikowska 6.**

STATUTA

VENERABILIS CAPITULI ECCLESIAE CATHEDRALIS LUBLINENSIS.

Prooemium.

Cum statuta Capituli Cathedralis Lublinensis, anno 1895 ex antiquis statutis Capituli Ecclesiae Cathedralis Chelmsensis et Ecclesiae Collegiatae Lublinensis confecta, mutatis temporum adiunctis publicato praesertim Novo Codice Iuris Canonici, obveterata et non satis accommodata praesentis temporis necessitatibus apparuerint, nos Capitulares Ecclesiae Cathedralis Lublinensis, prae oculis habentes mandatum Reverendissimi Ordinarii loci die 30 aprilis 1919 a. datum et praeceptum in litteris circularibus Congregationis Concilli die 25 iulii 1923 a. datum et ab eodem Reverendissimo Ordinario nobis communicatum, diligentissime instituto praevio examine antiquorum statutorum variarumque consuetudinum, quae a longiore tempore erant in usu et legis tenebant locum, censuimus quaedam ex eis retinere, alia mutare, alia penitus reicere, alia denique, quae magis cultum divinum bonumque Ecclesiae promoveant, nova condere.

Quae quidem statuta novo labore concinnata hic sequenti ordine ponuntur.

I. De Personis Capitularibus, deque praecedentia illarum et loco tam in Choro quam in Capitulo.

Ex duodecim personis Venerabile Capitulum Cathedrale Lublinense constituitur, id est ex quatuor Dignitatibus, quae vulgo vocantur Praelati et octo Canonicis. Ordo in praecedentia tam in sessionibus capitularibus et votis dandis quam in Choro tempore cultus Divini et processionibus inter has personas capitulares sequens pro semper est ser-

vandus: Praelatus Decanus primum locum occupabit, secundum Archidiaconus, tertium Custos, quartum Scholasticus, quintum, sextum etc. usque ad duodecimum inclusive obtinebunt octo Canonici, inter quos ratio vocationis semper in praecedentia habeatur. Stalla in choro hoc modo occupare debent Capitulares: a parte dextra id est a cornu epistolae: Decanus, Custos et quatuor Canonici, qui locum quintum, septimum, nonum et undecim in sessionibus et votis dandis iuxta vocationem suam possident, — a parte vero sinistra; Archidiaconus, Scholasticus et quatuor reliqui Canonici, qui locum eiusmodi sextum, octavum, decimum et duodecimum assignatum sibi habent. In stallis occupandis potioritas praecedentiae a propinquitate Altaris maioris, in processionibus vero a vicinitate Celebrantis computatur, — pars dextra semper sinistram paecellit et ratio illius ubique habeatur. (Cfr. Can. 408 et 409 salvo praescr. Can. 370 § 1).

II. De iuribus, privilegiis et insigniis Capitularium.

Capitulares Venerabilis Capituli Lublinensis gaudent his iuribus, privilegiis et honoribus, quibus ipsis ex lege ecclesiastica communi gaudere licet.

Praeterea habent habitualement curam animarum penes Ecclesiam Cathedralis Lublinensem, cura vero actualis exercetur a Vicario parociali a Capitulo praesentato et ab Excellentissimo Ordinario loci instituto ad normam Can. 471 § § 1 et 2.

Summus Pontifex Pius XI ad instantiam Excellentissimi Mariani Leonis Fulman, moderni Episcopi Lublinensis, confirmando privilegia canonicalia, quibus Capitulum Cathedralis Lublinense partim iure hereditario, partim ex immemorabili consuetudine hactenus fruebatur, per rescriptum S. Congregationis Consistorialis die 9 novembris 1923 an. datum benigne annuit, ut Capitulares utantur sequentibus insigniis: 1) cruce aurea octogona cum relativa catenula; 2) rochetto romano; 3) mozetta serica violacei coloris cum subsuto ac globulis rosacei coloris; 4) cappa canonicali iuxta morem romanum; 5) habitu talari nigro vulgo dicto „piano“; 6) biretto nigro, cuius orae textus atque in summitate floccus coloris rubini; 7) anulo cum unica gemma extra tamen missae celebrationem.

Hic notare iuvat:

I. crux, de qua sub n. 1 debet esse aurea vel deaurata pendens in catena ex auro vel alio metallo elaborata, radiis circumducta et habens ex una parte in medio imaginem Salvatoris cum duodecim hic inde in summitatibus suis dislocatis imaginibus Apostolorum, ex altera autem parte Aquilam Albam (stemma Reipublicae Polonae), in cuius medio manipulus (stemma Regiae stirpis Vasorum). Crux ipsa, radii, imagines Christi et Apostolorum, manipulus — coloris aurei, — aquila coloris albi, campus in quo repraesentatur imago Christi et manipulus — coloris caerulei. Distinctorium hoc concessum fuit a Benedicto XIV per bullam anno 17 Capitulo antiquae Ecclesiae Cathedralis Chelmensis, post trans-

lationem vero Ecclesiae Cathedralis Lublinum proprium factum est Venerabilis Capituli Cathedralis Lublinensis, etsi forma eius supra descripta probabiliter ab an. 1818 stabilita et usitata est.

II. Vestis talaris, quae sub n. 5 supra citati rescripti S. Congregationis Consistorialis „habitus pianus“ nominatur, a Pio P. P. X, a quo habitus iste et denominationem „pianus“ obtinuit, in motu proprio eiusdem Pontificis „Inter multiplices“ 21 Februarii 1905 a. ita describitur:

„17. Alio autem habitu uti poterunt, Praelatorum proprio, vulgo „piano“, in congregationibus, conventibus solemnibus audientiis, ecclesiasticis et civilibus, id est caligis et collari violacei coloris, veste talari nigra cum ocellis, globulis torulo et subsuto, ut supra, rubini coloris, serica zona violacea cum laciniis pariter sericis et violaceis, peramplo pallio talari item serico violaceo, non undulato, absque subsuto aut ornamentis quibusvis alterius coloris, ac pileo nigro cum chordulis et sericis flocculis rubini coloris. Comuni habitu incedentes, caligas et collare violacei coloris, ac pileum gestare poterunt, ut supra dicitur.,,

III. De bonis et proventibus Venerabilis Capituli eorumque usu.

Bona Capitularia proventusque, qui Capitulo ex eis proveniunt, sunt nulla.

Sicuti quilibet parochus ita et Capitulum ratione curae animarum parochiae Ecclesiae Cathedralis habet sibi relicta post suppressionem beneficiorum 1865 a. sex iugera agri et ex eadem ratione obtinet a Gubernio Civili pensionem aequivalentem pensioni rectoris ecclesiae parochialis.

Praeterea aedificia, a parte et a fronte Ecclesiae Cathedralis Lublini posita, quae subsunt dispositioni Venerabilis Capituli sub auctoritate Ordinarii loci.

Quaedam pars obventionum parochialium et aliquae summulae per Capitulares occasione installationis pendi solitae constituunt reditus Venerabilis Capituli.

Ex supra recensitis summis, censu ex agro, obventionibus et summulis, post solutionem pensionumquae personis laicis servitio Ecclesiae Cathedralis occupatis per Canonicum Procuratorem, quod supererit, Venerabile Capitulum per eundem suum Procuratorem erogabit in Ecclesiae Cathedralis decorem ampliandum, bonum communitatis promovendum, conservationem aedificiorum, iuxta tamen eorundem Capitularium discretionem et approbationem.

Denique ad normam Can. 395 ex pensione, quae a Gubernio Civili unicuique Capitularium solvitur et quae est portio personalis, in quam Collegium Capitularium nullum ius habet, detrahitur tertia pars et pro distributionibus choralibus inter praesentes convertitur.

IV. De modo recipiendi et installandi Capitulares in gremium Venerabilis Capituli, deque iuramento ab illis praestando et solutione pecuniaria pro ingressu et titulo cappalium.

Nominatus et provisus a Reverendissimo Domino Episcopo sive ad dignitatem sive ad Canonicatum, recipi in gremium installarique cupiens, per mandatarium a Capitularibus eligendum faciet de hoc instantiam eique litteras nominationis suae porriget. Quibus lectisque Venerabile Capitulum diem installationis constituet. Installandus praecipue pro ingressu et titulo cappalium vi infra adiecti huic titulo statuti Canonico Procuratori solvere tenebitur. Die installationi praefixa, rochetto et mozetto indutus, distinctorio ornatus in conclave Venerabilis Capituli invitabitur, — salutatusque per Praesidem ad emittendam fidei professionem, deponendumque infrascriptum iuramentum accedet. Mox ad Ecclesiam cum omni solemnitate deducetur, ubi altaris et stali capiet possessionem. Redux ad conclave, ibi de pacifica possessione loci vocisque activae et pasivae protestabitur. Hisce expletis, iuramentum canonice super fidelitate et secreto servando a quolibet noviter recepto sive ad Dignitatem sive ad Canonicatum, sequens est praestandum:

„Ego N. N. iuro Deo omnipotenti, quod Reverendissimo Domino meo Episcopo Lublinensi et Eius successoribus canonice intransibus, fidelis et obediens ero; statuta, iura et consuetudines laudabiles huius Ecclesiae observabo et ab aliis pro posse observari curabo. Consilia, quae mihi pro secretis revelata fuerint, et quae secreta Capitulum esse voluerit, ad damnum Ecclesiae vel praeiudicium cuiuspiam nulli pandam. Bona et proventus Ecclesiae et Capituli non alienabo, quinimo alienata pro posse recuperabo, omnique meliori modo bonum huius Ecclesiae et Capituli curabo. Sic me Deus adiuvet et hoc Sanctum Dei Evangelium“

Laudabilem consuetudinem et in praesenti statu Venerabilis Capituli maxime utilem servantem, statuimus, ut quilibet Capitularis gremio Capituli adiungendus occasione installationis 250 aureos polonos eidem Venerabili Capitulo persolvat.

V. De officiis, quae specialiter quibusdam Capitularibus ratione dignitatis illorum incumbunt.

Dignitates sicut praeferentiam inter caeteros Capitulares in Venerabili Capitulo, ita et specialiter habent sibi prae aliis officia assignata. Itaque tenentur:

I. Episcopi vicem supplere in peragendis functionibus sacris in sollemnioribus anni festivitatibus ad normam Caeremonialis Episcoporum et decretorum S. R. C.; prima autem dignitas nequit alium sibi substituere, functiones enim peragi debent ab eo, qui proxime succedit ratione dignitatis capitulari impedito;

II. Episcopo celebranti in pontificalibus, aspersionem in ingressu Ecclesiae porrigere et officio presbyteri adsistentis fungi;

III. Episcopo decumbenti S. Viaticum et Extremam Uncionem ministrare, defuncto vero, iusta funebria persolvere, licet adsit canonicus cum cura actuali animarum.

Cum Decanus prima sit dignitas in Venerabili Captulo, eius muneris erit Capitula extraordinaria in causis arduis convocare, in illisque sicuti et in ordinariis generalibus praesidere; utque modo praescripto cum bono Ecclesiae et communitatis ad finem perducantur, invigilare. Praeterea satagere, ut tam in Choro, quam in Captulo omnia debito ordine peragantur. Insuper: Punctatoris, Procuratoris et Secretarii Venerabilis Capituli officia, an debite et cum utilitate et honore nostri Collegii expleantur, inspicere.

VI. De officiis, quae universim omnes Capitulares obligant.

Omnes Capitulares tenentur ad residentiam penes Ecclesiam Cathedralam ad normam Can. 418.

Capitularis beneficium obtinens canonicatui vel dignitati renuntiare debet. (Can. 156 et 1439).

Singuli Capitulares tenentur per turnum spatio unius hebdomadae a vespere in sabbatho incipiendo missas celebrare et alia sacra officia in Ecclesia Cathedrali peragere. Novus installatus Capitularis prima vice officia peragere debet per quatuor hebdomadas continuas.

Hebdomadarius tenetur diebus dominicis et festis de praecepto missam summam pro benefactoribus in genere applicandam et vespere celebrare. Qualibet feria V missam votivam „Cibavit“ cantare, caeteris feriis per hebdomadam missam hora a Canonico seu Vicario Curato designata celebrare. Diebus S. Marci Ev. et tribus diebus rogationum missam rogationum ante processionem celebrare. Denique hebdomadarius celebrat missas et alias functiones peragit quotiescunque illis interesse tenentur omnes Capitulares.

Capitulares tenentur ad praesentiam in Choro veste choralis ad mentem Can. 409 induti: 1) omnibus diebus dominicis per annum in missa summa; 2) festis iuxta decretum. S. Congregationis Concilii die 15 decembrii 1921 Nr. 5724 datum de praecepto et festis suppressis donec solemniter celebrantur praeterea festo Nativitatis Domini in missa nocturna cantata; 3) per totam octavam festi Corporis Christi in missa summa et in vespere; 4) triduo sacro maioris hebdomadae incipiendo a matutino feriae V ad Sabbatum Sanctum inclusive in missa vespere matutino et solemnibus officio vespere Sabbati Sancti s. d. „Resurrectio“; 5) in devotione XL horarum in missa et vespere; 6) feria IV Cinerum in missa summa; 7) Die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum in vespere et missa summa cum processione pro defunctis; 8) diebus festis papalibus et

episcopalibus et die 3 maii in missa, et diebus, quibus ab Episcopo pontificalia exercente invitantur. Oportet, nisi iusta causa excuset, ut omnes Capitulares processionibus saltem iis, quae cum Sanctissimo Sacramento peragantur, intersint.

Ad lucrandam distributionem inter praesentes Capitularis tenentur adesse Missae saltem a hymno „Gloria in excelsis Deo“, in vesperis et aliis officiis a primo psalmo.

Optandum, ut Capitulares, in Ecclesia Cathedrali saepius verbum Dei praedicent; tenentur vero per turnum concionem sacram habere: festis Domini: Nativitatis, Epiphaniae, Resurrectionis et Pentecostes; festis Beatae Mariae Virginis: Immaculatae Conceptionis, Purificationis et Assumptionis, festo S. S. Apostolorum Petri et Pauli, Divisionis Apostolorum 15 iulii, et Omnium Sanctorum.

Capitulares tenentur per turnum anniversaria pro defunctis bis in anno ad tempus Capituli Generalis celebrare.

Ad normam Can. 415 § 5 Capitulares ex caritate tenentur maxime si designati coadiutores desint, curato cathedrali adiutricem operam navare.

Bis in anno ad Capitula Generalia ordinaria postridie festorum Purificationis B. M. V. et Divisionis Apostolorum semper pro semper celebranda venire in illisque vota ferre, omnia iuxta ordinem in Capitulis servandum peragere et ante finem sessionum capitularium de loco Capitulari absque summa necessitate ne exire.

Secretum capitulare servare in materia Capitularibus expresse determinata.

Insuper quotiescunque in causis arduis iisque gravibus Capitulum extraordinarium a Praeside Capituli convocetur, omnes Capitulares litteris circularibus eiusdem Praesidis invitati venire tenentur loco et termino praefixis et omnia peragere modo et ordine servatis in Capitulis Generalibus extraordinariis rem concludendo sicut illius gravitas exposcit.

Pari modo officia Secretarii, Procuratoris et Magistri caeremoniarum Capituli, quae a personis capitularibus semper sint adimplenda, Capitulares praecipue vero Canonici non effugiant, sed ea libenter recipiant, suscepto vero cum utilitate et honore Venerabilis Capituli omnium cum diligentia et fidelitate exequantur.

Item quotiescunque Reverendissimus Dominus Episcopus vel Sede vacante Vicarius Capitularis in causis gravibus bonum Ecclesiae et Dioecesis spectantibus ad consilium capiendum Capitulares per Decanum Venerabilis Capituli ad se vocaverit, omnes venire sine ulla tergiversatione tenentur et consilium dare cum omni sinceritate et dexteritate.

Omnia munera denique, quae Reverendissimus Dominus Episcopus vel Sede vacante Vicarius Capitularis de iure et consuetudine personis de Venerabili Capitulo committere ad explendum solent, uti Deputati pro disciplina Seminarii Clericorum vel pro administratione eius bonorum temporalium, Assessoris Curiae suae, Examinatorum Prosynodalium etc., Capitulares non fugere sed suscipere tenentur, illaque obire iuxta capacitatem suam gratia divina adiuti.

VII. De cultu Divino Divinisque Officiis, ordine, modo eadem persolvendi, tum de Canonico Punctatore.

Promotio Cultus Divini, tum devota persolutio Divinorum Officiorum, inter primarios fines Venerabilis Capituli reputantur. Quapropter curent Capitulares, ut ordo, qui est anima rerum, introductus in Cultu Divino Divinisque Officiis in Ecclesia Cathedrali simulque parochiali Lublinensi tam diebus Dominicis, quam festivis et feriatis indispensabiliter servetur. Tempore vero Divinorum Officiorum, praeter celebrantem, qui vestibus liturgicis uti debet, omnes Capitulares, actu praesentes, non aliter intersint, quam veste talari rochetto et mozzetto, vel cappis romanis, iuxta exigentiam temporis induti; crucemque pectoralem vulgo „distinctorium“, uti insigne Capituli proprium, gestantes. Ut autem omnimoda uniformitas in habitu semper a Capitularibus servetur, in singulari aliquo casu, quo ornatu sit apparendum, per Decanum vel alium, qui pro tempore praesidebit Capitulo, convocatum collegium ex Capitularibus rem terminabit.

Morem antiquorum Capitulum sequentes, volentesque, ut ordo et debitus isque honestus modus in persolvendo divino officio a Capitularibus servetur, statuimus, ut unus e gremio Capitularium specialiter vero quilibet ex Canonicis eligatur in Punctatorem ad normam Can. 395 § 4. Cuius muneris erit: notare omissiones, negligentias, inconvenientias perpetratas a Capitularibus tam Praelatis quam Canonicis in cultu divino persolvendo et haec omnia deferre ad Decanum, quod si interventio huius vel qui vices praesidis obtinet nihil prodesse posset, illius erit coram toto Capitulo congregato omnia conscientiose absque ulla formidine palam facere.

VIII. De moribus et vitae honestate Capitularium.

Vocationis suae et dignitatis Capitulares memores sint semper et ubique locorum tam in Choro quam in Capitulo, tam in vita privata, quam in functionibus publice explendis, quae ipsis sive ratione dignitatis et officii incumbunt, sive a Capitulo vel ab Episcopo demandantur. Cum enim sint selecti e Clero huius Dioecesis ad constitutedum Senatum Episcopalem, curent pro viribus, ut pietatem, integritatem vitae, gravitatem morum, modestiam, temperantiam prudentiam, zelum et dexteritatem in obeundis muneribus semper ostendant. Ornatum canonicalem, qui ipsis ratione privilegiorum vel antiqui usus est proprius, summa cum decentia et studio servant et gerant in Choro et functionibus ecclesiasticis, in Capitulo et quando id exposcit Cultus Divinus, bonum Ecclesiae et communitatis. Fugiant Capitulares hac in parte tam incuriam quam luxum et sicut a negligentia ita a vanitate sint prorsus alieni, scientes, quod hic ornatu non ad vanitatem fovendam vel fucum faciendum, sed ad gloriam Dei, Ecclesiae et eorum status decorem ipsis concessus est.

IX. De recipiendo a Capitularibus Reverendissimo Domino Episcopo tum de ministracione in vita et funere post mortem ipsi a Venerabili Capitulo debitis.

Quilibet Reverendissimus Dominus Episcopus Lublinensis, a S. Sede Apostolica canonice deputatus et constitutus, a Capitularibus debito honore et, qua par est, reverentia iuxta statuta provincialia, mores usumque vigentem in Ecclesia Cathedrali est recipiendus, Canonica dioecesis possessio fit iuxta Can. 334 § 3, secundum Pontificale et tota res in acta refertur.

Reverendissimo Domino Episcopo, qua loci Ordinario et illi, „quem Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei“, a Venerabili, Capitulo praeter omnimodam reverentiam et fidelem submissionem, ministratio in Divinis per illum in Ecclesia Cathedrali persolvendis debetur. Quotiescumque igitur Reverendissimus Dominus Episcopus Divina peragit, seu Missam decantat pontificaliter, Capitularis in prima dignitate constitutus in cappa ex munere suo, tum bini canonici gremiales aut honorarii Cathedrales in dalmaticis assistere tenebuntur.

Si Reverendissimum Dominum Episcopum ad Cathedram vel sua in dioecesi diem supremum obire contigerit, corpus eius in sepulchro Ecclesiae Cathedralis, si fieri potuerit, tumulabitur, nisi mortalibus exuviis suis alium praefixerit locum ultima voluntate. E loco remotiori igitur in assistentia duorum ad minimum Canonicorum corpus defuncti transferatur ad Cathedram et ibi a toto Venerabili Capitulo cunctoque Clero solitis cum caeremoniis excipietur. Missa vero de requiem a primo ex ordine Dignitate celebrabitur, castrumque doloris pro more peragetur. Mortuo extra dioecesim, alibique sepulto Reverendissimo Domino Episcopo, eadem in Ecclesia Cathedrali, tanquam praesenti, praestabuntur. Pro eius anima Capitulares sexies sacrificium Missae singuli offerre obligantur.

X. De vacatione Sedis Episcopalis et electione Vicarii Capitularis.

Quoniam tempore vacationis Sedis Episcopalis plurimae occurrere incidereque solent Venerabili Capitulo necessitates et causae, ideo omnes Capitulares quam primum per Venerabilis Capituli Praesidem certiores facti et invitati Lublinum sine quavis cunctatione et excusatione veniant et imprimis de eligendo Vicario Capitulari deque causis occurrentibus maturam deliberationem suscipiant et omnia ex necessitate pertractent, indeque, nisi re perfecta, minime recedant sub poena arbitrio Venerabilis Capituli statuenda. Et quum defuncto Reverendissimo Domino Episcopo Venerabile Capitulum intra octiduum iuxta Canones Vicarium Capitularem eligere obligatione tenentur, igitur statuimus et ordinamus, ut congregati Capitulares de eligendo Vicario

Capitulari, quem meliorem utilioreque secundum conscientiam censuerint, obstringent se iuramento.

Quibus vero dotibus Vicarius Capitularis praeditus esse debet, qui ordo in electione eius servandus, qua pluralitate votorum eligendus, abunde Ius Canonicum praescribit, Illa proinde omnia ad amussim a Capitularibus observentur. (Cfr. Canones 160-182, 430 § 1, 431 § 1, 433 § 2, 434 §§ 1 et 2).

XI. De funere Capitularium absolvendo.

Caritas Dei et proximi exigit, fraternitatisque ratio suadet, ut ii, quos vinculum mutuae societatis iunxit in vita, etiam a sociis animarum suarum suffragia post mortem expectent. Proinde statuto praesenti perennis memoriae sancitum esto, ut defuncto aliquo ex Capitularibus huius Ecclesiae Cathedralis, a prima statim (dummodo certa) notitia, campanae omnes Ecclesiae Cathedralis per tres dies continuos ternis quotidie vicibus pulsentur et pro anima defuncti quilibet Capitularis tres Missas lectas per se vel per substitutum presbyterum, sub onere conscientiae, absolvere teneatur gratis omnino pro Deo et charitate fraterna. Si autem contigerit, hic Lublini aliquem ex confratribus ex hac vita decedere sine ullo prorsus proprio peculio, quo subministretur modus honestae sepulturae, ad servandum decorem Venerabilis Capituli omnes Capitulares praesentes tenebuntur assistere in rochettis et in in mozetis exportationi corporis. Die sepulturae destinato officium trium nocturnorum ac Missam decantare, Procurator vero Capituli subministrabit pro comparanda tumba, cera, vino ad Sacrificia Missarum opportuna, aliisque necessitatibus providebit, quas talis actus indispensabiliter exigit.

XII. De Capitulis Generalibus tam ordinariis quam extraordinariis et modo illa peragendi tum de legibus ad Conclave Capitulare servandis.

Capitulum Generale ordinarium bis quolibet anno et quidem immediate post festa Purificationis B. V. Mariae et Divisionis Apostolorum (die 15 iulii) celebrabitur; Capitulum vero Generale extraordinarium toties quoties opus fuerit communi consilio res graves et causas arduas pertractare et de iis decisionem Capitularem ferre.

Ut omnia suo ordine peragantur, nihilque, quod communi consultatione est dignum, praetermittatur, in principio cuiuslibet Capituli conficietur elenchus rerum pertractandarum, qui vocanda appellatur. In hoc principem semper locum Cultus Divinus, necessitates Ecclesiae et sacristiae debent obtinere, secundo res a Reverendissimo Domini Episcopo propositae discutientur, postremo negotia Capitulum quomodolibet spectantia tractabuntur. Cuilibet etiam Capitularium liberum erit ea vocandae inserere, quae opportuna iudicaverit.

Cum omnes Capitulares locum Capitularem ingressi fuerint post preces solitas et consuetas iuxta dignitatem et vocationem sedes suas occupabunt. Praeses vero Capituli sessionem inchoabit alloquendo concapitulares et invitando ad res causasve iuxta vocandam successive discutiendas et decidendas. Primo negotio absoluto ad tractationem aliorum accedatur, et ita ex ordine usque ad ultimum progredietur. Si aliquo in casu voces, quae semper sint liberae et iuxta dignitatem et vocationem a Capitularibus ferendae, in partes diversas abierint, ad illationem Praesidis vel alicuius e gremio Venerabilis Capituli, exorta controversia brevibus clarisque verbis per Praesidem proponatur, distributisque inter Capitulares albis et nigris calculis, pro affirmativa albi, pro negativa sententia nigri, calculi vasi alicui imponentur. Pluralitas pro hac aut illa parte concludet. Sententia Praesidis paritati votorum adiecta praeponderabit. Si aliquid pertractabitur interlocutione, nemo ad exponendum suum sensum properet alium loquentem interpellando, multo minus in aspera verba erumpendo, sed tunc verba faciet, dum alter loqui desierit, et sibi a Praeside campus dilucidandae rei apertus fuerit. Quotiescunque singulare alicuius personae Capitularis negotium tractabitur, Praeside proponente, exeat eadem persona, et conclave Capituli relinquet, ut plenam libertatem unicuique aperiendi sententiam suam tribuat, fomitemque dissensionum tollat.

Capitulo Generali singuli Capitulares adesse tenentur et nullus eorum audeat sine summa necessitate foras se recipere prius, quam res omnes fuerint conclusae, et in necessarium finem deductae. Absentes et canonicas causas suae absentiae non habentes, poenis arbitrio Venerabilis Capituli statuendis subiicientur. Non sunt admittendi ad ferenda vota ii ex Capitularibus, quos lex poenalis horum statutorum voce activa vel utraque, activa et passiva privat.

Ut decisiones vel decreta Capituli Generalis omnes Capitulares obligent et vim legis obtineant, necessarium est omnino, ut ad minimum in Capitulo adsit maior pars Capitularium et ut haec decisiones et decreta in librum sessionum Capitularium protocollariter per Secretarium Venerabilis Capituli inserantur. Capitulum Generale non tantum negotia et causas generaliter spectantes ad Venerabile Capitulum, set etiam singulorum Capitularium, in quantum sunt membra communitatis, tractare et decidere potest. Ei vero, qui iniuste sibi motam causam vel irrogatam poenam existimaverit, ad Reverendissimum Dominum Episcopum recursus patet.

Qualibet sessio capitularis, sicut ab invocatione Spiritus Sancti inchoatur, ita per orationem gratiarum actionem Deo Optimo Maximo exprimentem terminabitur.

Pari modo, ordine et servatis legibus ad Conclave Capitulare similibus, Capitula Generalia extraordinaria sunt expedienda; cum his solummodo conditionibus, ut per Praesidem litteris circularibus convocentur, et ut in istiusmodi Capitulis praeter specialia negotia causasve urgentes nihil aliud decidatur.

Expedit etiam ratione decentiae et gravitatis, ut ea, quae in loco Capitulari peraguntur, non sint omnibus nota, hinc ad secretum reti-

nendum omnes Capitulares vinculo iuramenti stringuntur. Secreti igitur ratio talis sit, ut quodcumque Praeses Venerabilis Capituli secretum alicuius rei tractatae vel tractandae indixerit, omnes Capitulares illud servare tenentur, sub poena gravissima irremissibiliter subeunda iuxta inferius positam legem poenalem. Hoc tamen secretum frequentius et sine causa non imponatur, tantummodo in materia Ecclesiae et Capituli damni et indemnitis, tum alicuius personae Capitularis honori, fortunae, amicitiae praeiudiciosa et nociva.

(Cfr. Can. 101 § 1—2, 167 § 1, 168 et 411).

XIII. De negotiis Venerabilis Capituli, modo eadem expediendi, tum de Canonico Procuratore.

Cum Venerabile Capitulum negotia sua praecipue bonum communitalis concernentia neque per se neque per Praesidem suum, qui generalem inspectionem omnium negotiorum habet, expedire ullo modo possit, hinc Procuratorem sibi e gremio Capitularium eligat et constituat. Eius officium erit causas et actiones Venerabilis Capituli in quovis officio curare et tueri; — proventus, redditus, census et obventiones quovis titulo, ad idem Venerabile Capitulum pertinentes, percipere et vindicare, eosque ad mentem dispositionum Capitularium distribuere et dispensare; aedificiorum, in quibus sunt mansiones Capitularium, Cleri Minoris et famulitii ecclesiastici integritati et munditiei invigilare et ad conservationem illorum ex dispositione Venerabilis Capituli necessarias expensas facere, inventarium rerum et supellectilis ad communitalitatem capitularem pertinentium plenum semper habere, et iuxta illud omnia in bono statu ad usum Capitularium conservare, — verbo, in omnibus prout bonum dispensatorem fidelemque oeconomum decet, res Venerabilis Capituli curare et administrare. Pro quo labore nomine gratitudinis annuatim percipiet a Venerabili Capitulo certam quantitatem pecuniarum, ultra mercedem a Deo et gratam memoriam a Venerabili Capitulo habebit. Electio autem Procuratoris quovis triennio in Capitulo Generali expedienda est.

XIV. De vasis sacris sacraque supellectili et eorum aliarumque utensilium ecclesiasticorum inventario eorumque conservatione.

Vasa sacra cum omni supellectili et rebus, quae in sacrario Ecclesiae Cathedralis tum in ipsa Ecclesiae iuxta inventarium descripta inveniuntur mediate et generaliter sub tutela Venerabilis Capituli, immediate et specialiter sub custodia Canonici Procuratoris maneant. Observetur in futurum, et inventarium completum sacrorum vasorum ecclesiasticaeque supellectilis in uno exemplari penes ipsum Capitulum maneat et conservetur.

Canonici Procuratoris munus erit custodire Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, sed alter sacri tabernaculi clavis apud Vicarium

paroecialem servari debet; securitati tam Ecclesiae Cathedralis, quam supellectilis sacristiae et vasorum sacrorum sacrarii semper attendere; claves tam ab Ecclesia quam a sacristia et sacrario sua in domo diligenter custodire, — vinum, ceram, aliaque ad quotidianum usum necessaria, tempestive comparare et suppeditare, — conservationi totius supellectilis et vasorum sacrorum attendere, et ut munde, nitide, suis in locis collocentur a sacristiano, curare. Eius quoque erit partium invigilare, ut sacristianus, organarius, campanatores et servitores ecclesiae suis rite perfungantur officiis. Invigilare, ut Divina Officia praefixo tempore peragantur atque ut in functionibus a Vicario paroeciali in Ecclesia Cathedrali peragendis leges liturgicae observentur. (Can. 415 § 3).

XV. De conscribendis actis Capitularibus et in archivo una cum aliis documentis conservandis, de bibliotheca et sigillis Venerabilis Capituli, tum de Canonico Secretario, eius officiis et iuramento ab ipso prastando.

Multum interest, ut acta et decreta Capituli accurate conscribantur et diligenter una cum sigillis custodiantur et ea omnia, quae a priscis patribus et antecessoribus nostris ad archivum et bibliothecam Venerabilis Capituli comparata sunt in toto et ordinate conserventur. Hoc fine Venerabile Capitulum Cathedrale Lublinense, ut suum habeat Secretarium, qui simul archivarii et bibliothecarii munera explere possit, vel maxime exoptamus. Igitur statuimus, ut Canonorum vir probitate, doctrina, solertia, optima fama dexteritateque commendatus, in Secretarium Venerabilis Capituli eligatur. Cuius muneris erit: decisiones et decreta in omni negotio, iuxta sententiam Capitularium, ore Praesidis propalatam, vel in minutis post communem consultationem redacta fideliter et nitide protocollo in librum actorum inscribere, libros actorum Venerabilis Capituli Cathedralis Lublinensis omnes, tum libros actorum Capitulum Chelmensis Cathedralis et Colegiatae Lublinensis, variaque iura, privilegia et documenta in originalibus vel transumptis authenticis aut exemplaribus fide dignis et alia in Archivo Venerabilis Capituli Cathedralis Lublinensis existentia, debito ordine iuxta inventarium, quod necessario conscribendum est, in eodem archivo conservare, — libros bibliothecae capitularis penes conclave capitulare in Ecclesia Cathedrali locatae, iuxta catalogum sub sua custodia habere. Nulli etiam Capitularium sine licentia Venerabilis Capituli tam ex archivo, quam ex bibliotheca, sive scriptum aliquod, sive volumen scripturarum vel librum, etsi ad brevissimum terminum, commodare.

Sigilla Venerabilis Capituli tam maius, quo privilegia, praesentationes, aliaque maioris momenti scripta firmantur; quam duo minora ad obsignandas litteras et scripta minoris momenti inservientia, in archivo asservare et solummodo ad requisitionem totius Venerabilis Capituli illis uti et illa extradere, — nulli etiam neque ex actis capitula-

ribus recentibus neque ex antiquis sine licentia Venerabilis Capituli in copia aliquid communicare, claves tam ab archivo quam a bibliotheca penes se habere et nulli tradere. Tempore sessionum capitularium omnes libros scripta et alia necessaria in conclavi capitulari parare, et inspicere, ut fores eiusdem conclavis tempore consultationum sint clausae, secretumque capitulare in nullo violatum. Pro labore suo Canonicus Secretarius percipiet certam pecuniae summam iuxta decisionem Venerabilis Capituli, in suo autem munere dependebit ab eodem Capitulo vel illius Praeside. Post vero suam electionem iuxta formam sequentem iuramentum praestabit:

„Ego N. spondeo ac iuro, quod in munere Secretarii fidelis ero Venerabili Capitulo. Iura ipsius pro meo posse defendam, si scivero aliquod detrimentum illi emergere, mox Ipsi hoc nuntiabo. Praesentias et inter essentias Capitularium fideliter connotabo. Secreta mihi commissa nemini revelabo ne personae quidem capitulari, si contra eandem in conclavi quid dictum fuerit, referam. Archivo es bibliothecae Capituli et quodcunque in illis invenitur, invigilabo. Quidquid decretum vel statutum fuerit, diligenter protocollo inscribam, ex quo et ex Archivo Bibliothecaque nullum scriptum, nullum documentum, nullum librum sine scitu Capitularium cuique extradam. Non obtenta facultate stationem meam nunquam relinquam. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Eius Evangelia“

XVI. De Magistro Caeremoniarum eiusque officio.

Magistri caeremoniarum capitularis est invigilare, ut in Ecclesiae Cathedrali praescripta legis liturgicae diligenter serventur. Deputatio eius pariter ac aliorum officialium in Capitulo quolibet triennio peragitur



C o n c l u s i o .

Ut statutis, quae superius recensita leguntur, quaeque communi studio, assiduo labore confecta, unanimi Capitularium assensu sunt approbata et sancita, robur perpetuae firmitatis accedet et Nos infra-scriptos Dignitates seu Praelatos et Canonicos successoresque nostros semper devinctos et inviolabiliter obstrictos teneat, statuimus: ab Illustrissimo at Reverendissimo in Christo Patre hodierno Episcopo Lublinensi precibus exposcere et humiliter rogare, ut haec nova statuta benigne accepta habere et suo Decreto eadem approbare et confirmare dignetur.

Lublina die 31 Ianuarii 1925 a.

(—) *Ladislaus Koglarski* praelatus Decanus m. p.

† *Adolphus Jetowicki* eppus Lorym: prael. Cath.
Ludovicus Kwiek Praelatus Sholasticus.
Zeno Kwiek Canonicus Cathedralis
Florianns Krasuski Canonicus Secretarius Cap.
Eduardus Jankowski Canonicus Procurator Capituli
Antonius Zawistowski Canonicus Cathetralis
Antonius Skowronek Canonicus Cathedralis
Vladislaus Mentzel Canonicus Cathedralis.

C o n f i r m a t i o .

In fasciculo hoc, triginta et una pagina contento, Statuta Insignis Capituli Cathedralis Lublinensis ab eodem Capitulo nobis praesentata, praesentibus nostra Ordinaria potestate confirmamus et observanda approbamus. Rogamus Omnipotentem Deum, ut ex observatione Statutorum cultus divinus in dies augetur, Ecclesiae Christi maiora incrementa capiat, ac Reverendissimi Capitulares in gratia crescant.

Lublina, d. 14 Iulii 1925 a. Nr. 1918.

Episcopus Lublinensis

(L. S.)

(—) † **Marianus Leo**, Eppus.

A p p e n d i c e s .

I. Ordo introductionis novi Dignitarii et Canonici Cathedralis Lublinensis.

Novus Dignitarius aut Canonicus Capituli Cathedralis Lublinensis post acceptam canonicam nominationem et emissam professionem fidei coram Ordinario Lublinensi praesentat documentum nominationis Praesidi Capituli, qui auditis suis commilitonibus designat diem solemnis introductionis in possessionem beneficii canonici. Statuto die, praesentibus, in quantum adiuncta sinunt, membris Capituli, omnes congregantur in sacristia Ecclesiae Cathedralis, ubi duo digniores de Capitulo et Nominatus se induunt rochetto ac pluviali et una cum praesentibus exeunt bini et bini ad chorum. Nominatus circumdatus duobus dictis indutis de Capitulo se sistit ad gradus altaris maioris, dignior vero cantat sequentes versus, psalmum atque orationes:

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit caelum et terram.

Psalmus. 50.

Miserere mei Deus etc. Gloria Patri et Filio etc. Dignior cantat: Kyrie elejson. — Resp. Kyrie elejson, Christe elejson.

Pater noster.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. Sacerdotes tui induantur iustitia.

R. Et sancti tui exultent.

V. Salvum fac servum tuum.

R. Deus meus sperantem in te.

V. Deus custodiat introitum tuum et exitum tuum.

R. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

OREMUS.

Adesto, quaesumus, Domine, supplicationibus nostris, et famulum tuum, quem caritatis officio in fraternitatem suscipimus, gratiae tuae largitate locupleta, ut de eius prosperitate continua gaudeamus.

Deus, qui praesentem diem honorabilem nobis in beati Ioannis nativitate fecisti, da populis tuis spiritualium gratiam gaudiorum et omnium fidelium mentes dirige in viam salutis aeternae.

Ecclesiam tuam, Domine, benignus illustra, ut beati Ioannis Apostoli et Evangelistae illuminata doctrinis ad dona perveniat sempiterna.

Domine Iesu Christe, qui dixisti: „ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum“. Ecce nos congregati in nomine tuo sumus, honorem nominis tui et Ecclesiae sanctae defensuri, fraternam caritatem coacturi, qui bonorum operum auctor es, qui hominum incitas mentes et adjuvas actiones, tu misericors Deus universa nobis adversantia propitiatus exclude, ut mente et corpore pariter expediti, quae tua sunt et Ecclesiae tuae liberis mentibus exequamur. Qui vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Deinde dignior de Capitulo ascendit ad altare maius et ibi stans conversus ad nominatum stantem ad gradus altaris dicit:

„Auctoritate et mandato Domini nostri Illustrissimi et Reverendissimi loci Episcopi N. N. mitto te in corporalem et actuaalem huius beneficii canonicalis (vel: Decanalis, Archidiaconalis, Custodiae, Scholasteriae) Ecclesiae Cathedralis Lublinensis, de consensu Reverendissimi Capituli nostri possessionem, committens tibi administrationem ipsius, de quo rationem in die iudicii te Domino redditurum scias. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen“.

Post haec Nominatus ascendit ad altare maius idque in medio reverenter osculatur et dicit:

„Protestor de pacifica possessione huius altaris“

Dein Capitulares ducunt Nominatum ad stallum in choro pro ipso destinatum, ubi illud Nominatus assidet et dicit:

„Protestor de pacifica possessione huius stalli“.

Finitis supradictis cantatur „Te Deum“ pro gratiarum actione.

Denique omnes Capitulares procedunt in locum sessionum Capituli ibique Nominatus possidet ipsi assignatam sedem et iterum protestatur de pacifica possessione huius loci vocis activae et passivae et emittit coram Capitulo professionem fidei.

II. Biskup lubelski.

Do Prześwietnej Kapituły Katedralnej Lubelskiej.

Na skutek pisma z dnia 25 listopada r. b. w sprawie redukcji przeszło 289 mszy świętych ciężących na Kapitułę katedralną lubelskiej z powodu zabrania przez rząd rosyjski wszelkich funduszków, na których odprawianie rzeczonych mszy św. ciążyło, niniejszem oznajmiamy, że uznajemy słuszność wniesionej do Nas prośby i na mocy upoważnienia, udzielonego Nam w dniu 26 marca 1919 r. Nr. 864 przez Wizytatora Apostolskiego Achillesa Ratti, redukujemy powyżej wspomniane msze do obowiązku odprawiania dwóch mszy św. corocznie w dniu określonym przez Kapitułę, aby duszom legatarjuszy przynajmniej w ten sposób przyjść z duchową pomocą.

Lublin, dnia 30 listopada 1921 r. Nr. 3472.

† *Marjan Len, Bp.*

Prot. 5724/21. III. Sacra Congregatio Concilii.

Beatissime Pater.

Capitulum ecclesiae cathedralis Lublinensis humiliter S. V. exponit: Vi canonis 413 Codicis I. C. quodlibet Capitulum obligatione tenetur quotidie divina officia in horo rite persolvendi et vi canonis 417 missa conventualis applicanda est pro benefactoribus in genere.

Capitulum ecclesiae cathedralis Lublini, impar est huic oneri satisfaciendo, quia anno 1865 omnia bona abstulit gubernium russicum et nonnisi exiguas pensiones quotannis canonicis solvebat. Postquam Polonia restituta erat, status materialis Capituli non solum melior non evasit, sed immo propter depretiationem pecuniae deterior factus est. Idcirco ad honestam sustentationem evincendam canonici coguntur alia officia in civitate vel extra obire.

Ne supradicta conditio Capituli Iuri Canonico adversetur humillime S. V. orator Capitulum implorat, ut obligationes, ex canonibus 413 et. 417 emergentes, reducere velit: 1-o ad missam conventualem diebus festis de praecepto; 2-o ad vespas diebus festis de praecepto tantum.

S. Congregatio Concilii, auctoritate SSmi D. N. Benedicti P. P. XV attenda Ordinarii Lublinen attestazione, eidem benigne tribuit facultates iuxta preces ad quinquennium, firmo tamen onere celebrandi in choro quotidie missam conventualem absque applicatione.

Datum Romae die 15 decembris 1921.

D. Card. S b a r e t t i Praefectus
I. M o r i secretarius.

892/23.

IV. S. Congregatio Consistorialis.

Beatissime Pater.

